



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

De Octavo Praecepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

III DE DECALOGO.

Deus exerceri fidem, quæ si adesset, liberaliores
essemus in hoc genere officiorum. Si enim uerè
expectaremus à Deo facultatum conseruationē,
perfecto libentius largiremur.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Quid præcipit octa- uum præceptum?

Iubet ut propter Deum præstetur ueritas in
omni uita, dictis & factis, ac nominatim in iu-
dicijs, in contractibus & in pactis, requirit
ueritatem. Vide autem quàm late pateat hoc præ-
ceptum, regit iudicia, pacta, contractus, & com-
plectitur partem iustitiæ particularis, scilicet
quæ uetat ne fraude & per calumnias alij ledan-
Duplices tur. Sunt enim duplices iniurie. **Alia** fiunt ui, a-
iniurie. lia sine ui manifesta, sed dolo & fraude fiunt. **Viol-**
lencia prohibetur in quinto & septimo præcep-
pto. **Hic** prohibentur mendacia, imposturae, ca-
lumniæ. Ita sparsa est iustitia particularis in hæc
præcepta. **Nam** iustitia particularis prohibet in-
iurias utriusque generis. **Porro** hæc uirtus quæ
uetat mendacia et calumnias, uocatur ueritas. **Ut**
autem superiora præcepta alias partes reipubli-
cæ munierunt, ita hoc præceptum munit iudicia,
pacta & contractus. **Facile** autem possunt agno-
sci pec-

sci peccata crassiora pugnantia cum hoc precepto. **V**t enim hic confirmantur iudicia & omnia forensia officia, si rite & bona conscientia fiant, sicut & iuramentum de calumnia præcipit, ita e contra damnantur omnes falsæ & calumniosæ accusationes & defensiones & sententiæ in iudicijs. Denique tota sophistica forensis, item falsa testimonia & consilia, item depravatio artium & rectæ doctrinæ, item uiolatio pactorum & promissorum in contractibus. Denique insidiosa simulatio aut occultatio in moribus & uita, quia ueritas non modo in pactis, promissis aut iudicijs requiritur, sed etiam in tota uita, uidelicet cædor, simplicitas .i. rectitudo seu ingenuitas, quæ facit ne temere de alijs suspicemur, ut dextrè interpretemur aliorum dicta aut facta, ne sinistra interpretatione deprauemus probabiliter dicta aut facta, ne insidiosa occultatione captemus aliquod ω λεονέκτημα, ne sit in amicicia simulatio, sed luceat in dictis & factis & omni cōsuetudine rectitudo quedam, & appareat nos serio et bono studio agere omnia, quæ ostendimus, & præ nobis ferimus. **T**alis ingenuitas attribuitur Achilli apud Homerum, qui ait se odisse ut mortē eos qui aliud dicunt, aliud sentiunt. **E**t si autē maximè decet heroicis uiros hæc ingenuitas,

H 2 tamen

tamen requiritur in omnibus, ac maximè in ex-
 plicatione doctrinarum. Sed præceptum Dei nõ
 modo uirtutẽ ipsam requirit, sed etiam postulat
 ut referatur ad gloriam Dei, hoc est, ut amemus
 & præstemus ueritatem, ut Deo obediamus. **Est**
 & uulgare uitium maledicentia, uidelicet illorũ
 qui libenter serunt de alijs sermones, quibus eo-
 rum fama leditur, aut qui delectantur acerbita-
 te aut scurrilitate conuitorum, aut qui obtre-
 ctant alienæ existimationi. Hæc omnia uulgo de-
 tractionem uocant. **Et** aliàs hæc consuetudo ex
 nature uanitate oritur. Quosdam enim hi ser-
 mones sine ulla causa delectant, tantum propter
 nature uanitatem. Aliàs ex ambitione et inuidia.
 Interdum species est adulationis maledicere alijs
 in aliquorum gratiam. **Sunt** etiam quedam di-
 stortæ nature adeo uirulentæ et plenæ liuorum,
 & suspicaces, ut sola nature maleuolentia sine
 alijs causis impellat eos ad maledicendum. **Quo**
 in genere peccant non tantum qui serunt fabel-
 las, aut crimina de alijs, sed etiam auditores, qui
 libenter uel auide audiunt, sicut **Pindarus** in-
 quit, **Ἰνιδίς ὀψόνιον ἐστὶν ἐμὰ μάλεικτα.** **Cum** au-
 tem hoc uitium sit communissimum, discamus fre-
 quenter linguam, & corrigamus morbos animi, qui
 aut pariunt aut confirmant lingue petulantiam,
 & me-

Et meminerimus eam pugnare cum hoc præcepto, **N**on dices falsum testimonium. **E**t **C**hristus ait, **N**olite iudicare, ne iudicemini.

Sed hinc quæritur, an non licet manifesta & publica uicia reprehendere? **R**espondeo, **S**ententia **C**hristi, **N**olite iudicare, non prohibet officium iudicis, aut contionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, & in rebus dubijs calumnias. **E**st autem priuata maledicentia, quodcumque extra iudicium, aut contionem, aut deliberationem, aut piam castigationem, dicuntur in alios conuicia, etiamsi uera et manifesta sunt, ubi uidelicet non dicuntur, ut uel ille emendetur qui accusatur, uel consulatur alijs, sed erumpunt aut ex naturæ uanitate, aut ex morbo animi. **P**orrò hoc tempore est usitatum maledicere summis atque infimis, et præsertim principibus & doctoribus, imò ipsis etiam artibus, & sæpe in rebus dubijs calumniose reprehenduntur, ubi ea quæ sunt ambigua, non erant in deteriorem partem interpretanda. **M**ultò plus peccant, qui recte facta aut dicta calumniose deprauant, sicut sæpius accidit. **P**orrò quam turpis res sit & **D**eo displicens calumnia, hoc potest animaduerti, quòd ab hoc uitio autor peccati diabolus nomen habet. **E**t hoc loco sciendum est, eos qui falsas fabulas de alijs serunt, de-

bere illis restitutionem fame, sicut in furto debent restitutionem rerum, quia inter bona externa præcipuum est bona existimatio. Recte enim dicitur, Bona conscientia nobis opus est, bona fama autem de nobis opus est proximis. Nam honesta opinio inuitat alios ad uirtutem, ideo in prouer. scriptum est, **M**elius est nomen bonum, quam diuitie multe. Et **E**cclésiastici 41. **C**uram habeto de bono nomine, hoc enim præstantius est mille thesauris. Et extat uersiculus, **H**onestus rumor alterum patrimonium est. Et grauissimè inquit **G**erson, **N**onnunquam facilius satisfacit pro homicidio corporali & furto, quam pro calumnia. Et de his qui dicunt conuitia gubernatoribus ecclesiarum, ait **A**naclætus, **D**eteriores sunt, qui doctorum uitam morésque calumniantur, quam qui diripiunt aliorum prædia.

An omne mendacium est mortale peccatum?

Mendacia & in hoc præcepto prohibentur et alibi. Nam **L**euit. 19. scriptum est, **N**on mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum, non eris calumniator, nec susurro in populo. Est autem mentiri, aliud loqui quam sentias, seu dissimulata ueritate falsum dicere, id

re, id uniuersaliter est mortale peccatum, cum fit iniusta uoluntate nocendi. Sed in dictis & factis sanctorum sunt etiam quedam figurae, **Ut Abraham dissimulat Saram esse coniugem, & uocat sororem.** Aegyptiae obstetrices mendacio excusant se, cur non interficiant infantes Hebraeorum. **Rahab** mendacio defendit exploratores, & scriptura testatur, Deum praemia reddidisse pro his officijs. **Dauid** simulat se habere morbum, cum ad regem inimicum uenisset. **Iudith** fallit **Holofernen**, & medici saepe fallunt aegrotos, ut eos uiuent. Propter huiusmodi dicta & facta pleraque in scripturis & communi uita, discernuntur mendacia. Distinguuntur autem tres species. **Pri Mendaciorum tres**
mum sunt perniciosam mendacia, quae fiunt cum iniusta uoluntate nocendi, ut cum falso alij accusantur. **Hec omnia sine dubio sunt peccata mortalia.** Porro, mendacium sua natura est peccatum mortale, etiam sine uoluntate nocendi, si uidelicet ex uanitate ingenij dicatur, nec habeat probabile & honestam causam, qualia sunt adulatorum mendacia, quae contra conscientiam dicunt, aut qualia dicuntur a iactabundis, et alia multa. **Alia species est figura seu ironia cum uidelicet propter honestam et iustam causam aliquid occultatur, aut etiam figurate aliud dicitur aut ostenditur, Ut**

H A CUM

cum **A**braham dissimulat **S**aram esse uxorem, ipsa uerò occultatio per sese in talibus causis nō est mendacium. Nam mentiri non est tantum occultare, sed occultata ueritate falsum dicere. **C**hristus colloquēs cum duobus discipulis, etiam si non ita se ostendit, ut mox agnoscat, tamen non negat se esse eum, qui erat. Tales occultationes, quæ adhibentur in ijs rebus, quas dicere non necesse est, nec mendacia sunt, nec peccata, & plerunque adhibentur propter aliquam utilitatem.

Secundo ubi uerò manifestatio spontanea peccatum esset, ibi concessæ sunt figuræ, quæ tegunt negotia, **U**t **R**ahab peccasset, si ultrò prodidisset exploratores. **E**t mulier 2. **R**egum 17. peccasset, si ultrò prodidisset nuncios **D**auidis. In talibus casibus licet uti ironijs. **T**unc enim figuræ ille **M**endaciū non sunt propriè mendacia. Nam mendacium propriè est deprauatio eius quod dici debet. In hoc casu **R**ahab interrogata est de eiusmodi negotio, quod non debebat dicere. **H**inc facile possunt discerni mendacia, quæ nullam habent excusationem, ab ironijs, quæ habent excusationem, si scilicet consideretur, an id quod debet dici, occultetur, uel deprauetur. **S**ic aduersus hostem licet uti occultatione nostrorum consiliorum et figuræ ali-

sa aliqua, sed eatenus, ne uiolentur pacta. Nam
 pactorum et iurisiurandi religio iure diuino ser-
 uanda est. Ideo etiam fides hosti data, seruari de-
 bet. Sed præter pacta & iusiurandum uti occul-
 tatione consiliorum, uel aliqua figura concessum
 est. Sic occultare licet innocentem, quem tyran-
 nus aliquis inquit, ut eum afficiat supplicio,
 quia in tali casu manifestatio spontanea peccatū
 est. Constituta ergo definitione, quid sit mentiri,
 facilis erit dijudicatio, ubi sint excusabiles figu-
 re. Est enim mentiri non solum occultatio, sed
 deprauatio contra conscientiam, de ea re, quam
 dici oportuit.

Addunt tertiam speciem iocosam, ut poemata,
 apologos, false dicta. Sed hæc nequaquam sunt
 mendacia, sed potius picturæ eius quod senti-
 mus. Quod ut sit illustrius, proponimus in exem-
 plis quibusdam propter similitudinem naturarū
 adhibitis, ut lupus est imago tyranni, uulpecula
 imago hominis circumspecti & astuti. Ad hoc
 genus pertinent omnis generis false dicta in quo-
 tidiana uita, quibus utimur ad admonendos homi-
 nes, quale illud est Philippi de iudice, qui faciem
 pinxerat fucis, hunc iussit abdicare officium, in-
 quiens, **Fucatum non uere iudicare.**

DE RELIQVIS DVOBVS
 præceptis. **H 5 Reli=**